
21

EPISTOLA
PASTORALIS
AD
CLERUM ET POPULUM
NETENSIS DIOECESIS



ROMAE
EX TIPOGRAPHEO JOAN. BAPT. ZAMPI ET C.
MDCCCXLIV

JOSEPH MENDITTO

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

PRIMUS EPISCOPUS NETINUS

CLERO ET POPULO NOVAE DIOECESEOS NETENSIS

GRATIAM ET PACEM A DEO PATRE NOSTRO
ET A DOMINO JESU CHRISTO.

ANTEQUAM istuc veniam, Dilectissimi, quod erit, Deo auxiliante, quam primum, paucis vos volo, ut et quali mente pro vestro gaudio ad vos venturus sim, et qua de vobis firma fiducia pro meo solamine, jam nunc plenissime intelligatis. Sciatis itaque oportet, me semper anxio, ac sollicito animo, donec mihi de voluntate Dei constaret, omnia illa suscepisse officia, quae meis viribus a superioribus meis non semel in Sacerdotio demandata fuere; quin imo aliqua etiam aliquando humiliter recusasse, ad illa me minime a Deo vocatum, ideoque ad illa me prorsus ineptum justis de causis existimantem. Sine enim Dei vocatione (mecum ipse reputabam) qualibuscumque fulgeat quis naturae dotibus omnia pessum eunt, juxta illud Psalmi (126): *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat qui custodit eam*; et S. Leonis Papae (*Ep.* 85, *alias* 87) *Difficile est, ut bono peragantur exitu, quae malo sunt inchoata principio.* Deus quippe, ut omnium conditor, omnes etiam providentissime aptavit, salva tamen libertate, et loco, et usui, ad quem

illos destinavit. Ecce sicut lutum in manu figuli, sic vos in manu mea, ait Dominus (*Jerem.* 18). Sicut ergo unumquodlibet vas usum alium non admittit praeter eum, ad quem ab artifice configuratum est, ita opera Dei utilia esse nequeunt, nisi ad id, propter quod confecta sunt. Et re quidem vera quid sibi vult, quod in primo Machabaeorum legitur (*Cap.* 5) de Azaria, et Josepho, qui gloriam aemulantes Machabaeorum copias in hostem direxerunt, sed successu infelicissimo; nisi quod Illi ad tantum munus destinati a Deo non erant? Non erant ipsi, ait Auctor Sacer, de semine virorum illorum, per quos salus facta est in Israel. Et quorsum de quibusdam sic per Oseam (*Cap.*8) conquerebatur Deus: *ipsi regnaverunt, sed non ex me, Principes extiterunt, et ego non vocavi eos*? *Unusquisque*, ait Apostolus (*I, ad Corinth. cap.* 7), *proprium donum habet a Deo, alius quidem sic, alius vero sic*, prout scilicet congruit illi fini, quem ipse Deus existentiam elargiendo intendit.

Cum autem, carissimi, ita me gesserim jam a prima juventute mea nonne mihi magis, magisque tale propositum tenendum erat, quando Augustissimus Princeps noster FERDINANDUS II, meam respiciendo humilitatem, me primum Ecclesiae vestrae Episcopum a Supremo Pontifice Maximo GREGORIO XVI. benignissime petere dignatus est? Certe quidem Episcopatus cum sit, ex D. Chrysostomo, onus ipsis humeris Angelicis formidandum, tum maxime omnia diligenter expendi, et ob non paucas, gravesque difficultates, quae mihi se obtulere, vehementer expavi. Difficultates ex parte mea: dotibus in Episcopo a Sancto Apostolo (*I. ad Timoth.*) requisitis me carentem inspiciebam, atque ad terrendum verba S. Isidori non defuere (*l.* 2. *Off. ad S. Fulgent.*): qui in erudiendis atque instituendis ad virtutem populis praeerit, necesse est, in omnibus Sanctus sit, et in nullo reprehensibilis habeatur. Difficultates ex parte loci; cum vitam ex una parte me fere semper libris abditam degisse viderem, et hinc considera-

rem istic esse, utpote in nova sede, negotia multa, nec non pergravia expedienda. Ex parte parentum denique difficultates, qui summa jam senectute confecti in me suum baculum, solatiumque reperiunt, planctum forsan Tobiae parentum in amarissima divisione renovaturi. Verum est, aliquam vocationis spem mihi affulsisse, eo quod cor Regis in manu Dei (*Prov.* 21), ajebat Salomon, et praeter omnem expectationem meam Augustissimus Princeps in sola sua sapientia ad illam sublimitatem me nominavit. At occurrebat, quod Joseph Barsabas in actibus Apostolorum (*Cap.* 1) quamvis justus a sua eximia sanctitate cognominatus, eoque titulo ab Apostolis dignus Apostolatu existimatus, non erat tamen a Deo electus. Quapropter animis cadens tentavi dicere cum Jeremia (*Cap.* 1): *puer ego sum* pro tanto munere, et cum Moyse (*Exod. cap.* 5) modeste addere: *obsecro Domine, mitte quem missurus es.* Dum tamen istis excusationibus apud Sapientissimum Principem locum futurum esse non imprudenter existimabam, en ad me viri non pauci, magni virtute, et prudentia sua praediti, juxta verba Ecclesiastici (*Cap.* 44), ut evellerent timores meos, simulque meam voluntatem ad illud onus excipiendum modis multis extimularent. Mihi vero sic constituto, ac talibus incitamentis exagitato quid unquam erat faciendum? numne munus oblatum exemplo Jonae Prophetae pertinaciter erat detrectandum? et persequendo vestigia Jonae nonne simul quod illi accidit, ne mihi accideret, erat mihi quodammodo formidandum? O quam opportune quoque tunc auribus meis insonuere Nazianzeni voces, quibus docebat (*Orat.* 1), periculosius esse contra obedientiae leges impositum onus refugere, quam ex imprudentia acceptare; cum timori quidem, subjungebat, suscipiendae Praepositurae lex obedientiae opem fortasse ferat; at inobedientiae periculo haud scio, quisnam opitulari, aut quaenam ratio ad fiduciam hortari possit. Tunc etiam illae S. Augustini de servo pigro, qui talentum abscondit (*In libro de fide et operibus cap.* 17), propter illos haec similitudo proposita est, qui nolunt suscipere in

Ecclesia dispensatoris officium, desidiosam praetendentes excusationem nolle se rationem reddere de peccatis alienis. Tunc illae simul S. Gregorii Papae (*I. Pastoralis parte*), quibus docebat, humilitatem ante oculos Dei non esse veram, si sit pertinax ad respuendum, quod utiliter subire praecipitur. Et ut alia Ecclesiae lumina silentio praetermittam, tunc illae Sancti Aquinatis (2. 2. *quaest.* 181. *art.* 2), ad voluntatis inordinationem pertinet, quod aliquis omnino contra Superioris insinuationem gubernationis officium finaliter recuset propter duo; primo quia hoc repugnat caritati proximorum, quorum utilitati aliquis se debet exponere pro loco, et tempore; secundo, quia repugnat humilitati, per quam aliquis superiorum mandatis se subjicit. Hisce vocibus interim, quasi vocibus Dei, exhilaratus, cum Deus non per seipsum immediate, sed per Praelatos aeternam suam vocationem soleat manifestare, sapientibus dicto audiens fui, et acquievi: gratias egi Principi beneficentissimo: me Romam contuli, et cum hic viderim Regis optimi designationem, a Sapientissimo Christi Vicario clementissime comprobatam, dixi demum Domino perquam laetus cum Isaia (*Cap.* 8), et Petro (*Luc. cap.* 5), *ecce ego, mitte me, in verbo tuo laxabo rete.* Post haec omnia, quaeso, effectus hodie vester Episcopus per sacratissimam ordinationem, nonne mihi credendum est, quod per illam in cor meum Deus divinam virtutem suam indiderit ad munia Episcopalia rite, et laudabiter obeunda? Dei perfecta sunt opera, ait S. Thomas (*In Suppl. quaest.* 35. *art.* 1); et ideo cuicumque datur potentia aliqua divinitus, dantur etiam ea, per quae executio illius potentiae possit congrue fieri. Ob hoc dixit Deus (*Num.* 11) Moysi de septuaginta senibus, quos ipsi in adjutorium daturus erat: *auferam de spiritu tuo, tradamque eis*, id est dabo illis vim virtuti tuae simillimam, sicut lumen unius candelae ab alia ablatum, ut in regimine populi collatis viribus efficacissime te adjuvent. Ob hoc spiritus Domini directus dicitur in Davidem (*I, Reg. cap. XVII*), ex quo in locum reprobati

Saulis a Deo suffectus fuit. Ob hoc denique dixit Christus Apostolis (*Joan.* 20) post illa verba: *sicut me misit Pater, et ego mitto vos : accipite Spiritum Sanctum.* Quis jam proinde non persentiscit, et quali mente pro gaudio vestro, et qua de vobis firma fiducia pro meo solamine quam primum istuc venturus sim?

Et quod ad mentem meam spectat, veniam, volente Deo, non ut otio vacem, et quieti, ne cum inutili servo in maledictum incurram, aut cum illo, de quo dicitur (*Prov.* 11) *qui abscondit frumenta, maledictus.* Non ut deliciis, commodisque affluam, vel honoribus, divitiisque delecter, bene memor semper verborum Salomonis (*Eccles.* 1. *et* 2): *Risum reputavi errorem, et gaudio dixi quid frustra deciperis, Vanitas vanitatum et omnia vanitas.* Non ut dignitatis celsitudine extollar, bene memor etiam apophtegmatis Ecclesiastici (*Cap.* 32): *Rectorem te posuerunt, noli extolli, sed esto in illis tamquam unus ex ipsis.* Non denique ut in Cleris dominer, memor demum verborum Domini (*Luc.* 22): *Qui major est inter vos, fiat sicut minor.* Veniam itaque, volente Deo, ut placeam ei, cui me probavi juxta Apostoli verba (*II. ad Tim.* 2), vel melius ex textu greco ἵνα τῷ στρατολογήσαντι ἀρέσω, ut placeam ei, qui me delegit in militiam suam, tamquam Episcopum, elegit, et adscripsit. Veniam, ut cum Apostolo (*I. et II. ad Cor.*) Dei adjutor sim, et pro Christo legatione fungar ad implenda ea, quae desunt passionum Christi, id est, ut in praedicatione Evangelii, et Sacramentis Ecclesiae administrandis pro vestra sancta conversatione, et vestra aeterna salute Christo Domino subserviam; ut, qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, nempe Christo, qui pro ipsis mortuus est; ut libentissime impendam, et superimpendar ipse exemplo Christi pro animabus vestris, anima mea pro vobis, in manibus meis semper, juxta Psalmi verba (*Psal.* 118). Veniam ut vos exhorter cum Apostolo ad Timotheum et Titum in doctrina sana, qua vera pietas hinc gignitur, quae ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est, et futurae, quaque

illinc tristes illi nebulones reprobantur, quos describit et ipse Apostolus (*ad Timoth.* 2. *cap.* 3), et Princeps Apostolorum (*Petr.* 2. *cap.* 2), et Frater Christi Taddaeus (*In sua Epistola*), nebulones, inquam, qui speciem quidem pietatis habent, virtutem autem ejus proterve abnegant, qui in iis, quae naturaliter norunt, ut animalia muta, misere corrumpuntur, qui fictis verbis in avaritia de hominum animabus, ac felicitate negotiantur. Veniam tandem, ut quod infirmum est, juxta verba Ezechielis (*Cap.* 34), consolidem, quod aegrotum sanem, quod confractum alligem, et quod abjectum reducam. Necnon insuper animo meo infigam egregia monita S. Isidori (*loco supra citato*), oportere Episcopum curam pauperum gerere, esurientes pascere, vestire nudos, viduas ac pupillos tueri, pervigilem in cunctis exhibere curam, et providentiam habere distributione discreta. Haec omnia ad persequendum, quis ibit umquam inficias? sunt maxime difficilia, sed audeo dicere cum S. Leone Magno (*Serm.* 1. *in die Assump. suae*): qui mihi honoris est auctor, ipse mihi fiet administrationis adjutor, et ne sub magnitudine gratiae succumbat infirmus, dabit virtutem, qui contulit dignitatem. Omnia igitur possum cum Apostolo (*ad Philip.* 4) in eo, qui me confortat. Quin immo spero, Deum vocatione sua facturum, ut tantum pondus a vobis mihi levius efficiatur consilio, cooperatione, orationibus, auxiliis etiam temporalibus, ac summa docilitate cum dictum fuerit ab ipso Jesu (*Joan* 10): *ego sum ostium*, per me si quis introierit, salvabitur, ingredietur, et egredietur, idest quocumque se verterit, quidquid egerit, succedet pro voto, et pascua inveniet, divinae scilicet providentiae. Ac proinde vos jam videtis fiduciam illam, quam ego pro solamine meo firmam de vobis habeo.

Enim vero a Sancto Spiritu edoctus (*Prov.* 8. *et Eccles.* 32), quod sapientia habitat in consilio, et sine consilio nil faciendum, in rebus omnibus stabiliendis, consilium petere a sapientibus, piisque viris non praetermittam; et mihi certa spes inest, Capitulum praesertim Cathedralis Ecclesiae,

utpote Caput ceterorum Clericorum, cujusque membra, sicut dignitate ceteros praeeminent, ita etiam probitate et scientia ceteris praestare debent, consilio suo mihi nunquam defuturum. Istud enim Episcopo in fascis Episcopalis levamen, ad instar Synedrii veteris, datum est a Canonibus, ut ejus menti suffragium ferat, Senatus ideo Episcopi cognominatum. Et qui fieri potest ne in consiliis bonis mihi semper suggerendis partes suas adamussim adimpleat?

Partes quoque suas confido ad unguem adimpleturos utriusque Ordinis Sacerdotes et Saeculares et Regulares, sacris suis operibus me adjuvando; illos praecipue, quibus cura animarum commissa est. Omnes enim ad edocendum populum sunt ordinati: cum illi solum ex Tridentino in Presbyteros sint ordinandi, qui praevio diligenti examine ad docendum idonei reperiuntur, et adjumenta Episcopi omnes in sacra sua inauguratione dicantur; sed Parochi multo magis adjumento Episcopis debent esse, et praedicatione, et Sacramentis administrandis.

Adjutorium vero precum efficacissimum a justis omnibus expecto, de quibus dicitur (*Jacob.* 5): Deprecatio justi assidua plurimum valet. At cum Virgines Deo dicatae dilectissimae sunt Jesu Christi Sponsae (*S. Cyprianus de Disc. et Hab. Virginum*: *et S. Hier. l.* VII. *contra Jovin.*), nobilissima Ecclesiae portio, et monilia orbis totius perquam pretiosa, quae Angelorum instar uni Deo, divinoque obsequio totaliter intendunt, quae integrum quotidie corporis, et animae, perfectumque Sponso offerunt holocaustum, quae studio, cogitatione, affectu SS. sunt Trinitati simillimae, (*Sicuti in Commentario Tirini habetur cap.* 7. 1. *ad Cor*), quae plus ceteris ab illa peculiariter redamantur, quasque in coelis majus praemium manet, singularisque aureola, praecipue ab eis hoc adjutorium in me collatum iri vehementer confido.

Quid ultra? Non pauca, nec exigua temporalia levamenta a dignissimis Praeside quoque, et Magistratibus, a Nobilibus, et a Divitibus multa spe mihi polliceor. Illi, Praeses

nempe et Magistratus, ministri Dei, et Regis, magna auctoritate praediti, Deorum nomine in Sacris Literis insigniti, brachio certe suo, ubi opus est in gloriam Dei, bonumque spirituale promovendum, prompte me adjuvabunt, et isti, Nobiles nempe Divitesque grati Deo pro bonis ab ipso acceptis, nec in gloria vana, nec in divitiis confidentes, in miseris insuper, pauperibusque ipsum Christum considerantes, illos mecum sublevabunt, et ita mihi non mediocri erunt levamini, et sibi bonum fundamentum in futurum ex Apostolo (*I. ad Timoth.*) thesaurizabunt, ut apprehendant vitam aeternam.


Omnes demum voci meae futuros dociles ipsa Christi promissio sperare facit. Oves enim (*Joan.* 10), ait de Pastore vero, oves illum sequuntur, quia vocem ejus sciunt, alienum autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo. Cum ergo vestrum forma factus ex animo ad pascua aeternae vitae vos ducam, vos absque dubio persequi vestigia mea non renuetis, et odio oderitis vatiniano illorum voces, qui Crucis Christi sunt inimici, ut ait Paulus (*ad Philip.* 3). Tot autem tantisque praesidiis munitus nonne possum dicere cum Davide (*Psal.* 22); *Dominus regit me, et nihil mihi deerit*, ut Dei gloriam promoveam, ut pleno vos afficiam gaudio, ut partes meas, etsi difficiles, in bonum vestrum spirituale adimpleam? Mihi ergo solummodo curandum est, nenmquam desim gratiae Dei; cum Saul, Judas, et alii, ab ipso Deo vocati, gratiam illam derelinquentes perierint misere, id est exciderint de via justa. Hinc timor, hinc tremor ipsius Pauli (*I. ad Corinth.*): castigo corpus meum, ne cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar. At, quamvis videre debeat, ne cadat, qui se existimat stare, juxta eundem Apostolum, nostramque salutem cum metu et tremore (*Philip.* 2) operari debeamus, orationi semper instantes; spero tamen, infallibili divina spe, quae non confundit, innixus, quod Deus dabit (*Luc.* 11) Spiritum bonum petentibus se, spero meam a gratia sua discessionem non permissurum benignissimum Dominum, potentissima saltem intercessione Beatissimae

semper Virginis Matris suae Mariae, cujus gloriae amplificandae fui semper ex toto corde intentus: Beatissimi Patriarchae Joseph, cujus nomine et patrocinio nunquam non sum gloriatus: Beati quoque Judae Taddaei, peculiarissimi Familiae meae Patroni: Beati insuper Nicolai Myrensis, cujus laudes non semel dixi, specialis istius Primi Capituli Tutelaris, atque gloriosi S. Conradi, cujus alma protectio totam tegit a malorum aestu, tamquam nebula, conspicuam istam Civitatem, et omnium vestrum orationibus, quae pro Pastore ferventer fusae, extra omnem dubitationis aleam non sine fructu a clementissimo Domino excipientur.

Nil aliud restat, nisi ut S. Gregorii Papae memorabile monitum vobis obiter in memoriam revocem, quod, nempe, cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum. In medio vestrum Augustissimus Princeps paucis abhinc annis Praesidem totius Provinciae statuit; statuit simul et Tribunalia. Magnas itaque pluresque vobis ad munera, ad cultum, ad commoda, ad opes, et ad gloriam opportunitates suppeditavit; Provinciae Caput Civitatem vestram efficiendo. Nunc vero Cathedra Episcopali pro bono vestro Spirituali, filiorumque vestrorum vos voluit esse condecoratos. Quo ergo animo in Eum esse debetis? quali Eum prosequi amore, et reverentia prae ceteris subditis? qua cordis denique devotione debetis esse ejus Majestati addicti? Beneficia summa ac multiplicia, summa quoque ac multiplicia a vobis postulant grati animi obsequia, pro ejus salute praesertim et prosperitate, ejusque Sponsae MARIAE TERESIAE Reginae Nostrae, ac totius Familiae Regiae Deum ex toto corde assidue deprecando. Et cum Jesu Christi Vicarius, Successor Petri, Pastorum omnium Supremus Pastor, et Sanctae Ecclesiae ipsius Christi Universalis Antistes GREGORIUS divina Providentia Papa XVI. Augustissimo Regi nostro FERDINANDO II. pro vestra Cathedra stabilienda benignissime annuit, vobisque Episcopum a Clementissimo Rege nominatum in immerenti persona mea et confirmavit, et ordinare fecit, et Apostolica sua aucto-

ritate misit, nonne etiam Illi praeter suum excelsissimum, cunctorumque Christifidelium perquam utilem Characterem, nonne inquam a Vobis pro benefacto eximio eximia referenda est gratia? Pro Illo itaque semper orate, ut Illum Deus pro bono Ecclesiae, cui peramanter, ac diligentissime providet, diu multumque nobis servet incolumem, suisque cumulet peculiaribus benedictionibus: nec non satagite in via virtutum magis magisque auxilio Dei proficientes, ut Ille, vestram in Christianismo bonam conversationem audiendo, magna perfundatur consolatione ad aliquantulum illius tristitiae levamentum, qua cor ejus hoc tempore incredulorum scriptis, et effraenata procacitate continuo afficitur. Haec pauca nunc pro mea erga vos benevolentia. Multa coram, cum Deus dederit. Et Deus pacis sit semper vobiscum.

Datum Romae extra Portam Coelimontanam ipso Consecrationis die XXVIII. Kal. jul. an. Domini MDCCCXLIV.



IMPRIMATUR

F. Dom. Buttaoni Ord. Pr. Sac. Pal. Ap. Magist.

IMPRIMATUR

Joseph Canali Archiepisc. Colos. Vicesgerens.